



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 266. Vtrùm opera primi hominis fuerint minus efficacia ad merendum, quàm opera nostra?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

vitio factus est reclus. Nec dico si perseverantiam non habuit, quomodo sine vitio fuit, cui tamen necessarium Dei donum fuit? Respondet huic interrogationi, quod Adam ab initio fuit sine vitio, deinde sua culpa non perseverando, habuit hoc ipsum vitium non perseverandi, & caruit dono contrario huic vitio: ergo fateretur Adamo ad perseverandum necessarium fuisse donum perseverantiae, adeoque perseverantiam Adam futuram donum Dei, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, ut dicitur Iacobi 1.

20. Iansenius porro citato cap. 17. cum citasset illa verba, *quæritur à nobis quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, quid de primo homine sentiamus, qui certe sine ullo vitio creatus est reclus, omisit verba sequentia, in quibus docet Adamo ad perseverandum necessarium fuisse donum perseverantiae, fortasse quia vidit illa non facere ad rem suam.*

21. Adde in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. dampnari in sensu Baij has duas propositiones, quæ sunt 1. & 3. *Nec Angeli, nec primi hominis merita recte vocantur gratia; & Angeli, & primo homini, si in statu illo perseverassent usque ad ultimum vitam, felicitas esset merces, non gratia; sed Baius videtur negasse solum merita, & perseverantiam primi hominis, & Angelorum esse gratiam specialem, ut id negat Iansenius; ergo propositiones illæ videntur damnatæ etiam in sensu Iansenij.*

22. Ad argumentum in contrarium respondeo ex S. Augustino Deum primo homini, & Angelis in statu naturæ integræ dedisse ad merita, quæ de facto habuerunt, non solum adiutorium sine quo non, sed etiam adiutorium quo, siue efficax, ut probatum est ex professione hac quæstione, & præcedente. Testimonia S. Augustini, quæ afferuntur in contrarium, vel probant Adamum, qui de facto non perseveravit, non accepisse adiutorium quo, siue efficax ad perseverandum, quod ultro concedimus; vel probant Adamum, & Angelos ad actus bonos, quos de facto exercuerunt, non accepisse adiutorium quo consistens in adibus indeliberatis, & in delectatione victrice, & congrua, qua impellerentur ad actus meritorios, quale adiutorium homines accipiunt in natura lapsa: sed non probant Adamum, & Angelos non accepisse adiutorium quo, siue efficax consistens in possibilitate, & cogitatione congrua, ut explicatum est.

QVÆSTIO CCLXVI.

Utrum opera primi hominis fuerint minus efficacia ad merendum, quam opera nostra.

S. Thom. quæst. 95. art. 4.

1. **V**identur opera Adam in natura integra fuisse minus efficacia ad merendum,

quam opera nostra in natura lapsa: primo quia gratia, & charitas sunt radix meriti, ac proinde qui maiorem habet gratiam, & charitatem, magis meretur: sed nos in statu naturæ lapsum accipimus à Deo maiorem gratiam, & charitatem: ergo magis meremur. Probatur minor: nam Deus dat gratiam ex sua misericordia, ac proinde magis indigentibus subuenit gratia maiori: sed nos ad bene operandum indigemus maiori gratia, quam Adam in statu innocentie: ergo &c.

2. Secundo ad meritum requiritur pugna quædam, & difficultas, ideoque Apostolus 2. ad Timoth. 2. dicit: *non coronabitur nisi qui legitime certaverit*, & 1. ad Corinth. 3. *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*; & Aristot. 2. Ethic. cap. 3. dicit: *circa id, quod difficile est, semper & ars, & virtus versatur*; sed in statu naturæ lapsum exercemus actus bonos, & supernaturales cum maiori pugna, & difficultate: ergo magis meremur.

3. Tertio ut dicit Magister sententiarum in 2. distinct. 24. homo in statu innocentie non meruisset, tentationi resistendo: sed in statu naturæ lapsum meremur, dum tentationibus resistimus: ergo.

4. Respondeo cum Sancto Thoma, quod quantitas meriti pendet ex duobus, primo ex radice gratiæ, & charitatis: secundo ex quantitate, & perfectione operis meritorij. Quantitas, & perfectio operis meritorij duplex est, absoluta nimirum, & proportionalis, & potest contingere, ut opus absolute maius alio opere sit proportionaliter minus eodem opere: ex. gr. vidua, quæ ut habetur Marci 12. & Luc. 21. misit duo minuta in gazophilacium, absolute minus dedit, & fecit opus absolute minus, quam cæteri, sed proportionaliter dedit plus, & fecit opus proportionaliter maius, quam cæteri, quia magis eius facultatem superabat, ideoque Christus Marci 12. dixit: *Amen dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophilacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia, quæ habuit, misit totum victum suum.*

5. Hoc supposito, Sanctus Thomas ponit tres conclusiones. Prima conclusio est: *Efficaciora fuissent opera hominis ad merendum in statu innocentie, si attendatur quantitas meriti ex parte gratiæ, quæ tunc copiosior fuisset, nullo obstaculo in natura inuento.* Videtur supponere Sanctus Thomas, quod Adam in statu innocentie, cum non haberet impedimentum peccati originalis, ac concupiscentiæ, ac proinde iuxta dicta quæst. 258. num. 32. se disposuerit ad gratiam sanctificantem per actum perfectissimum charitatis, acceperit maiorem gratiam sanctificantem, quam accipiant in baptismo infantes, & etiam adulti. Posset tamen de hoc puncto dubitari, & posset aliquis existimare eos, qui per baptismum regenerantur in Christo, accipere gratiam maiorem, quam accepissent, si generati fuissent ex Adamo innocent.

Dddd

noccn.

nocente, intelligendo in hoc sensu dictum. Apostoli ad Rom. 5. 20. *Vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia.*

6. Secunda conclusio est: si consideretur absoluta quantitas operis, opera Adami in statu innocentiae fuissent efficaciora ad merendum, quam opera nostra. Probat: nam, homo in statu illo naturae innocentis, ac sanus habuisset maiores vires ad bene operandum, quam nos habeamus in statu naturae lapsae, & infirmæ: ergo fecisset opera absolute maiora, & actus absolute perfectiores.

7. Tertia conclusio est: si consideretur quantitas proportionalis, maior inuenitur ratio meriti post peccatum, propter hominis imbecillitatem. Magis enim excedit paruum opus potestatem eius, qui cum difficultate operatur: sed nos in natura lapsa exercemus opera meritoria cum magna difficultate orta ex concupiscentia, & ex naturae infirmæ debilitate: Adam exercuisset opera meritoria sine vlla difficultate, siquidem habebat naturam integram, & carebat concupiscentia: ergo.

8. Circa secundam conclusionem potest dubitari, vtrum sit verum, quod Adam in statu naturae innocentis, & integræ per gratiam sanitatis habuisset maiores vires ad faciendos actus meritorios vitae aeternae, quam in statu naturae lapsae per gratiam medicinalem habuerint de facto innumeri Sancti, ac praesertim Martyres, ac proinde Adam exercuisset opera absolute excellentiora, quam de facto exercuerint Sancti, praesertim Martyres. S. Augustinus enim lib. de Corrupt. & gratia, cap. 11. initio comparans gratiam Adami cum gratia, quae data est Sanctis in natura lapsa, dicit. *Quid ergo? Adam non habuit gratiam? Immo verò habuit magnam, sed disparem: ac paulo post concludit gratiam naturae lapsae esse potentiorum, dicens: Proinde isti non interim latiore nunc, veruntamen potentior gratia indigent isti. Si gratiam habent potentiorum: ergo maiores habent vires, & possunt exercere opera absolute maiora, & actus absolute perfectiores. Capite etiam 12. non multo post initium non solum gratiam medicinalem datam Sanctis in natura lapsa praefert gratiae sanitatis datæ Adamo in natura integra, sed etiam videtur opera Sanctorum praesertim Martyrum in natura lapsa absolute praeferre operibus, quæ Adam potuisset exercere in natura integra, dicens: Maior quippe libertas est necessaria aduersus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantis munita, atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium, libero vsus arbitrio non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate: isti autem non dico terrente mundo, sed sentiente, ne starent, steterunt in fide, cum videret ille bona praesentia, quæ fuerat relictnus, isti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent. Propter hæc fundamenta potest problematice defendi utraque*

opinio, vel possunt conciliari, dicendo, quod Adam in statu innocentiae habuerit maiorem gratiam, & maiores vires, quam regulariter habeant homines in natura lapsa, ac proinde eius opera fuissent absolute maiora, & efficaciora ad merendum, & hoc solum asserit Sanctus Thomas: at quidam viri Sancti, nimirum Apostoli, plures Martyres, insignes Confessores, habent maiorem gratiam, & maiores vires, quam habuisset Adam, & exercent opera etiam absolute excellentiora, ac merentur maiorem beatitudinem substantialem, quam meruisset Adam: & hoc solum asserit S. Augustinus.

9. Ad 1. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico falsum esse, quod homines in natura lapsa accipiant regulariter maiorem gratiam habitualement, quam acceperit Adam in statu innocentiae. Ad probationem, distinguo minorem: nos magis indigemus gratia, habituali ad merendum premium substantiale beatitudinis, quam Adam, nego: magis indigemus ad quædam alia, concedo: & nego consequentiam. Adam non minus, quam nos indigit gratia habituali ad merendum premium substantiale beatitudinis, siquidem gradus beatitudinis correspondet gradui gratiae habitualis: ergo Adamo innocenti Deus non dedisset minorem gratiam habitualement, quam nobis peccatoribus. Indigemus quidem nos gratia ad obtinendam remissionem peccati, ad resistendum concupiscentiae, ad subueniendum naturae corruptae, & infirmæ, ad quæ Adam gratia non eguisset in statu naturae innocentis, & integræ. Rursus Adam innocens debuit habere gratiam ad exercenda opera absolute maiora, & excellentiora, quam nos regulariter in natura lapsa possumus exercere.

10. Ad 2. Lib. 5. de Gratia, quæst. 44. n. 8. dictum est ad meritum vitae aeternae requiri difficultatem consistentem in hoc, ut actus sit supra vires naturae, ac proinde supernaturalis, sed non requiri, ut actus sit difficilis, & arduus ex eo, quod procedat à potentia impedita aliquo impedimento potentiae adiuncto, propter quod actus fiat cum labore, & molestia: sed actus Adami, licet non essent difficiles propter impedimentum concupiscentiae, & infirmitatis ortæ ex peccato, fuissent supernaturales: ergo fuissent difficiles difficultate sufficiente ad meritum. Difficultas orta ex causa extrinseca, puta ex impedimento concupiscentiae, auget meritum arguitiue, in quantum est signum promptitudinis in voluntate, quæ conatur ad id, quod est difficile, quæ promptitudo oritur ex magnitudine charitatis, quæ charitas est præcipua radix meriti: sed potest contingere, ut aliquis maiori charitate, ac maiori promptitudine superandi omnes difficultates, quæ possent occurrere, faciat opus facile, quam alius faciat opus difficile propter impedimenta: ergo potest contingere, ut qui facit opus facile, magis mereatur,

tur, quam qui facit opus difficile, ac proinde opera Adami facta sine ulla extrinseca difficultate potuerunt esse efficaciora operibus nostris factis cum difficultate, ac resistentia concupiscentiæ. Difficultas tamen, in quantum est poenalis, & afflictiua, auger formalitè vim satisfaciuiam, vt explicabitur suo loco. Videri possunt quæ de difficultate operis meritorij dixi lib. 5. de gratia, quæst. 34. num. 5. & sequent. & præterea num. 17. & sequent.

11. Ad 3. Respondeo, quod vt dictum est quæst. 25. 8. num. 13. Magister in 2. dist. 24. cum alijs quibusdam docuit Adamum creatum fuisse sine gratia sanctificante, & iuxta hanc opinionem asseruit, quod Adam dum adhuc carebat gratia, resistendo tentationi, non meruit præmium beatitudinis supernaturalis, ad quod meritum requiritur gratia sanctificans. Sed vt diximus eadem quæst. 25. 8. Adam fuit creatus cum gratia sanctificante, & saltem obtinuit gratiam ante lapsum: ergo resistendo tentationi, & alia opera supernaturalia, exercendo, potuit mereri præmium supernaturalis beatitudinis: & quia habuit maiorem gratiam sanctificantem, quam ceteri homines habeant regularitè in natura lapsa, opera Adami fuerunt efficaciora ad merendum, quam opera nostra, vt explicatum est.

De Dominio, quod homini conueniebat in statu innocentia, ac naturæ integræ.

QVÆSTIO CCLXVII.

Vtrum Adam in statu innocentie habuerit dominium in cetera animalia, & in omnes alias creaturas.

S. Thom. qu. 96. art. 1. & 2.

1. Sanctus Thomas quæst. 96. descendit ad agendum de dominio, quod Adamo conueniebat in statu innocentia, ac naturæ integræ.

Quæritur igitur primo cum S. Thoma art. 1. vtrum Adam in statu innocentia animalibus dominaretur?

Respondet affirmatiuè. Probat primo in argumento *sed contra*. Nam Gen. 1. Deus dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus celi, & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra:* & paulo post Deus primis hominibus dixit: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus celi, & vniuersis animalibus, quæ mouentur in terra,*

2. Confirmatur: nam Genes. 2. habetur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animalibus terræ, & vniuersis volatilibus celi, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea:* sed vt aduertit Chrysostomus Homil. 14. in Gen. fecit hoc Deus in signum dominij, quod dabit Adamo; ergo. Verba Chrysostomi sunt. *Factum autem hoc, non vt discamus illius sapientiam solum, sed vt symbolum dominij per nominum impositionem cognoscatur. Nam & hominibus mos est hoc facere, vt cum seruos emerint ipsorum nomina mutent. Vnde & Adam instruit, vt omnibus brutis tanquam dominus nomina indat.*

3. Probat secundo Sanctus Thomas ratione. Nam vt cum eodem Sancto Thoma qu. 95. artic. 2. diximus quæst. 259. & 260. in Adamo inobedientia eorum, quæ debent esse homini subiecta, subsecuta est in poenam peccati, per quod ipse fuit inobediens Deo: sed omnia animalia ratione carentia naturaliter debent esse subiecta homini: ergo antequam Adam peccaret, omnia animalia ratione carentia obediebant Adamo, ac proinde Adam illis dominabatur. Minorem, quod nimirum animalia ratione carentia naturaliter sint homini subiecta, probat Sanctus Thomas tribus rationibus.

4. Prima ratio est: quod naturaliter ordinatur ad vsum alterius, naturaliter est subiectum illi: sed animalia ratione carentia naturaliter ordinantur ad vsum hominis: ergo naturaliter sunt subiecta homini, ac proinde homo naturaliter habet dominium animalium. Probat minor: nam sicut res ita ordinantur in generatione, vt imperfectiora sint propter perfectiora, & forma imperfectior sit propter formam perfectiorem, sic ita ordinantur in vfu, vt perfectiora debeant vti perfectioribus, vt patet inductione: nam plantæ vtuntur terræ, ita vt ex ea sumant alimentum: animalia vtuntur, & aluntur plantis: homo vtitur animalibus: sed id, quod potest vti alio iuxta suam voluntatem, & ad proprium bonum, habet dominium in illud: ergo homo habet dominium in omnia animalia ratione carentia. Hinc inferitur ratio, quare licet plantæ naturaliter vtantur terræ, & animalia vtantur plantis, tamen nec plantæ habeant dominium terræ, nec animalia habeant dominium plantarum, & tamen homo ita possit vti brutis animalibus, vt habeat dominium illorum. Ad dominium enim requiritur potestas vtendi alio, ac de eo disponendi iuxta suam voluntatem: sed plantæ, & bruta animalia, cum careant ratione, & voluntate, nulla re possunt vti, disponendo de illa iuxta suam voluntatē, homo autem vtpotè præditus ratione, & voluntate potest vti animalibus, disponendo de illis iuxta suam voluntatem: ergo. Ideo Aristoteles 1. Polit. cap. 5. docuit, quod venatio syluestrium animalium est quoddam bellum iustum, & naturale, quia per eam homo vindicat sibi quod est naturaliter suum.

5. Secunda ratio est: Diuina prouidentia

Dddd 2

tia